

10. *Augustus Caesar; Ludouicus Rex, Populo, Senatui, &c. salutem.* An quia sicut Architecti nos in admirationem adducere solent principis alicuius stemmatibus in aditu Palatii propositis, vt desiderij stimulis agitati, domus interiora videamus, & omnia quæ intus recluduntur, perferremur, vt dum aliò deflexerimus, principis illius laudes celebremus, cæterosque pro viribus in tantarum diuitiarum admirationem, tantique regis magnificentiam enarrantam prouocemus, eo ferè modo quo regressa Sabæ Regina omnibus inelamabat, *Verus est sermo, quem audiui in terra mea; sed, Maior est sapientia, & opera tua, quam rumor, quem audiui;* Ita Moses in attrijs Scripturæ sacræ, pro Dei stemmatibus, nomen illius proposuit, vt eius pulchritudine, suauitate, atque maiestate allekti, vterius ad Sæcti codicis lectionem, & thesauros, quos continet, eruendos prouocaremur, & alios ad tanti opificis gloriam prædicandam, & bonitatem, potentiam, atque sapientiam omni laude celebrandam aduocaremur, vt simul omnes tanto perfusi gaudio, & velut in ecstasim rapti personemus: *Beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Vos vos Atheos malè feriatos, vos Philosophos, Mathematicos, Physiologos, Magos appello, prouoco, adiuro, vt vestris libellis, (qui nugas, mendacia, fortilegia, & siquid peius, continent) Vulcano dicatis, ad Scripturæ sanctæ lectionem accedatis, eamque dies, & noctes reuoluatis; in ea namque thesauros omnes sapientiæ, & scientiæ Dei, velut in regia domo collectos inuenietis; in ea sapientiam æternam de fontibus saluatoris haurietis; in ea Philosophi verum rerum omnium principium, Physiologus veras rerum proprietates, Mathematicus verum circulum reperiet; In ea Magus discet, quomodo vincendi, & expellendi sint dæmones, denique omnes ex tanto Oceano, quantum libuerit haurire poterunt.

PROBLEMA V.

1.  *VR* Deus mundum creauit? An quia illius auxilio indigeret? Absit, vt id putemus, quandoquidem Psaltes ait: *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* An quia quæcumque potuit, necessariò, vel etiam liberè produxit: neque id dici potest, aut debet, siquidem plura sunt, quæ possit, quàm ea, quæ produxit. An quia non erat, à quo laudem, & honorem sibi debitum acciperet? Sed nec vlla creatura laudes ei debitas reddere valet; vt enim omnes creaturæ in maiestate diuina contemplanda cæcutiunt, ita & in laudibus eius enarrantis balbutiunt, & obmutescunt. An quia bonum est sui diffusiuum, eoque se magis communicat, quòd maius est, Deus autem illud est bonum; quo nil maius est, quòue nihil dici, cogitari, aut esse malus potest; qui propterea sese communicare voluit non solum ad intra, sed etiam ad extrà? An quia mundum explicare voluit, qui in ideis æternis antea velut inclusus, & obvolutus latebat, adeout idealis rerum omnium conceptus, qui nondum è mente diuina discescerat, per creationem foras eruperit, vt iam totus mundus, ac singulæ partes illius, voces Dei sint, & velut conscriptus vndequaque liber, ac pellucidum speculum, in quomira Dei sapientia, bonitas, & potentia cum cæteris attributis elucescant. O mira, ac ineffabilis Dei bonitas; quæ sufficit, vt totam vitam etiam si Nestorem, in eius contemplatione traducamus. O bonitas! Sint, inquam, omnes creaturæ verbum externum, & secundarium, seu imago, splendorque Dei creatus, sicut filius est Primum verbum, & intimum, speculum, & imago, atque splendor patri coæternus. Tanto igitur amore me vermem, me nihilum, tanta dilectione persecutus es, vt vniuersa mihi velut Imperatori paraueris, omnia in me velut in finem ordinaueris, vt ipse Philosophus 2. Phys. tit. 24. & 1. Polit. c. 5. fateatur, qui à te, & per te dixit, quicquid verum dixit; Nec enim Angeli creaturis à se distinctis indigebant, quibus vel nondum beatis rerum omnium species indideras, vel iam beatis te clarissimè, & immediatè manifestas. Laudes igitur diuinas homines continuo cordis iubilo celebrent; de quibus tam magnificè loquitur Apostolus 1. Cor. 3. *Omnia vestra sunt, siue mundus, siue vita, siue mors, siue presentia, siue futura, omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* An propter seipsum Deus mundum creauit? iuxta id Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum, operatus est Dominus; est enim finis optimus, & vltimus, cæteris omnibus velut mediis suam bonitatem communicans, cuius intuitu, omnes causæ, principia, & fines inter effectus, & media referenda sunt.* An quia Deus creaturas omnes in æterni verbi filij sui triumpo adesse voluit, & velut captiuas ante curram triumphalem duci, cum ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Sed quid moror amplius? *Omnia quæcumque voluit fecit, & quis etiam consiliarius fuit, vt eius intima scrutari posset?* Creauit igitur, quia voluit; de quibus videri pos-